

quo terminatum est, prout infra. De quo scismate Karolus imperator adhuc vivens gaudebat, sperans se ex hoc obtinere confirmationem imperii pro filio suo Wentzeslao (*hs.*: Nicolao), quod et factum est. Ipse eciam Urbanus papa, ut Francigenas repelleret, vocavit Karolum ducem Duracie et sibi regnum Apulie contulit, quod et idem obtinuit. Quem postea idem Urbanus secutus, in Neapoli et Luceria resedit et in Luceria sex suos cardinales cepit et interfecit, qui fovebant Karolo de Duraco (*hs.*: dedurato). Sed dictus Karolus contra papam provocatus, eum cepit et multas molestias ei intulit et eum (*f. hs.*) persequabatur. Quem tamen papam in Luceria per dictum regem obsessum gentes ducis Andegavensis sibi adverse liberarunt et ad Barum duxerunt. Deinde Januenses ibi eum cum galeis in Januam duxerunt. Et deinde post annum Romam rediit, ibidem mortuus et sepultus ut supra. Et fuit predictus Urbanus valde sui capitis.

Bonifacius nonus Neapolitanus successit anno domini 1389, coronatus Rome die nona mensis Novembris, et sedit annis quindecim. Obiit die prima Octobris anno domini 1404. Hic Bonifacius nacione Neapolitanus et maximus symoniacus, nam publice vendebat omnes episcopatus, dignitates, prelaturas et beneficia. Et quicumque plus dabat, habebat. Et propter huiusmodi questum maxime ditatus fuit. Quas eciam pecunias expendebat largiter pro terris ecclesie. Nam potenter Bononiam, Perusium et Spoletum, Parmam, Tudertum et omne patrimonium sancti Petri sollempniter recuperavit et totam Romam cum capitolio sibi potentissime subegit et castrum Sancti Angeli reformavit. Comitem Fundensem devicit ac totum comitatum Fundensem sibi subegit et Campaniam, ita quod potentissimus papa fuit in Ytalia, sicut fuit seu esse potuit a sancto Silvestro et citra. Iste eciam Bonifacius regem Rupertum approbavit et electum confirmavit et eidem decimam clericorum per totam Almaniam concessit. Iohannem eciam de Nassaw in archiepiscopum Moguntinum promovit. Qui Johannes *eciam in Roma in propria persona fuit pro eodem *f. 240. archiepiscopatu¹⁾, licet contra eum Joffridus de Liningen fuit electus. Sed hic non potuit resistere. Promovit eciam Conradum de Zoltow ad Verdensem et Rabanum ad Spirensem ecclesias. Qui Rabanus est unus de Helmstat et hodie in eodem episcopatu vivit, scilicet anno domini 1429, in profesto Udalrici scriptum. Et idem Bonifacius multis de multis ecclesiis providit, a quibus multas habuit pecunias.

Huius Bonifacii tempore, scilicet anno domini 1390, mortuus est Adolfus archiepiscopus Moguntinus, cui successit Conradus de Winsberg, qui rexit 8 annis et mortuus est. Cui

1) Vgl. Chron. Mogunt. misc. p. 384 zu 1397.